284

WC
8R
4383


HENRICVS
DEI GRATIA GALLIAE
ET NAVARRAE REX CHRISTIANISSIMVS M.D.CX



ORATIO FRANCISCI VENTVRII

PATRITII

ET CANONICI FLORENTINI

Habita Florentiae, in aede Diui Laurentij,
In funere HENRICI. IIII.
Galliarum, & Nauarrae
Regis.



FLORENTIAE.

Apud Coſmum Iuntam. MDCX.

Superiorum Permiſſu.

Case
F
39
.326
1610 ve

THE NEWBERRY
LIBRARY

53-657

ORATIO IN HENRICVM QVARTVM *GALLIAE, ET NAVARRAE REGEM.*

MAGNVM, ac miſerabile ſpectaculum, Sereniſsimi Principes, veſtris, totiuſq; orbis terrarum oculis ſpectãdum proponitur: Henricus Quartus Galliarum Rex, princeps omnium ſeculorũ memoria maximus, poſt fortiter, feliciterq; tot adita diſcrimina, poſt ingentes, immortaleſq; partas victorias, poſt innumera trophæa conſtituta, poſt tantos triumphos, debellatis hoſtibus, domeſticis pacatis diſsidijs, in maxima totius Regni lætitia, in ipſo omnium victoriarum triumpho, ab ignobili ſicario interfectus iacet. O infelicem humanarum rerum conditionem. Ergo ne, non regia dignitas, non ſubiectorum fides, non amor generis humani per admirationem inſolitæ virtutis comparatus, præſidio fuit, quo minus violentum, & immanem vitæ exitum, in quouis etiam infimæ ſortis homine miſerabilem inueniret? nec tot arma, tot copiæ, quibus inſtructus, & circundatus erat, à miſeri vnius graſsatoris inſania protexerunt? Ergo ne tam

tenui filo, magnorum Regum vita ſuſtinetur? Grande inſtabilitatis rerum humanarum documentum, noſtris, futuriſq; temporibus memorandum. Deploranda prorſus Gallici regni conditio, per tot annos atrociſsimis bellis ciuilibus exagitati, dilaniati, externis oppreſsi, & abſumpti, ab hoc vno, eiuſq; ſingulari ſapientia, diuinaq; virtute, breui ad eam pacem potentiam, opulentiamq; prouecti, in qua ſub nullo vnquam priorum Regum fuit; quod recenti adhuc tantorum malorum memoria, nouo inſuper hoc vulnere conficitur, & tantorum bonorum auctore per vnius ſcelus, furoremq; priuatur. Magnum quin etiam reſpublica Chriſtiana, atq; adeo ſeculũ noſtrum amiſit præſidium, & ornamentum: nam quota quæq; ætas poſt hominum memoriam fuit, quæ tot, tantasq; præclaras laudes in maximo Rege cumulatas viderit? Multorũ ſeculorum opus fuit Henrici virtus: Nam ſicut fauſta, & benefica ſidera, raro, & poſt magnos cæleſtium orbium curſus; omnia ad humani generis felicitatem coeunt, vigentq;, ita eximiæ, præcellenteſq; virtutes, quæ in Henrico Rege reperiebãtur, poſt multa temporum ſpatia, poſt longas ſeculorum ſeries, vix renaſcuntur, quare nec ſine totius orbis detrimento occidunt: Vos itaq;, Sereniſsimi Principes, qui arcto affinitatis, & amicitiæ vinculo cum illo deuincti tenebamini, inopinato atrociq; caſu perculſi, regio hoc, magnificentiſsimoq; exequiarum cultu, non magis Regi mortuo officium neceſsitudini debitum perſoluitis, quàm pietatem veſtram erga Chriſtianam Rempublicam in tam graui iactura, & calamitate teſtatam facitis. Ipſe verò, quandoquidem, veſtro iuſſu, de eo in præſens habenda eſt oratio, qui illum laudauerim, cuius militaris gloriæ ſplendor fuerit, qualem in alio difficillimè repe-

riemus,

riemus, qui ingentibus, immortalibuſq; beneficijs Chriſtianam Rempublicam, catholicamq́; religionem ſibi deuinxit, ad cuius res geſtas celebrandas, quamuis exuberent, parcæ, ieiunæq; videntur hiſtoriæ, quin etiam ipſa generis humani conſcientia, & memoria, neceſſe eſt, deficiat: quare ex tota Henrici vita pauca de plurimis, quæ mortalem captum, & humanarum virtutum faſtigium ſupergrediuntur ſeligentes, inuſitatam mortalium oculis illorum ſpeciem potius veneremur, quàm laudemus. Enimuerò progenies, ex qua ipſe ortus eſt, cum per ſeptingentos ferè annos opulentiſſimo, auguſtiſſimoq́; Regno, totiusq; Europę principi continuata Regum ſerie, nunquam intermiſſa potentia imperitarit, videtur certe humanarum rerum terminos prætergreſſa, cum vniuerſas ab orbe condito Regum, & Principum domos, etiam ſi fabuloſa antiquitas in contentionem aduocetur, diuturnitate Imperij, Regni magnitudine, Principum gloria, longo interuallo ſuperarit; quorum pietas ſingularis mirum inmodum omnibus ſeculis effloruit, cum Romanam Eccleſiam, Apoſtolicæ dignitatis perpetui vindices, & aſſertores, ornauerint, auxerint, protexerint, & quo nihil magnificentius dici poteſt, non ſemel in ſuo Paſtore, & capite ſeruauerint, propter quæ tam præclara facinora primogenitorum Eccleſiæ, eiuſdemq; protectorum Chriſtianiſſimorum, alijsq; honorificentiſſimis appellationibus, in eximiæ pietatis, ac religionis monumentum exornantur, ab ipſo quin etiam immortali Deo, adeo ſupra cæteros mortales euecti, vt ſolo tactu humanis artibus deſperatam ſalutẽ, patenti diuini muneris virtute, ęgris reſtituant. Ex hoc genere, Antonio patre, & Joanna Henrici Nauarræ Regis filia, Regni, totiuſq; Armeniacenſium, & Albretanorũ

Principum domus hærede, genitus Henricus eſt: Utque generoſum, vereq; militarem Regem parentes efformarent, vt corpus, animusq; ad labores, & incommoda militiæ perferenda ſolidaretur, neue vigor ille animi, & eximia indoles, quæ iam tum elucebat, delicijs elangueſceret, Coraſij, locis aſperis, in ipſis Pyrenæis montibus, longe ab illecebris, longe ab aula, in ſaltu potius, quàm domi, horrido cultu, ruſticis veſtibus, ciboq; enutritus eſt: atq; inter cætera id ipſe affirmare ſolebat, ſe primum ætatis ſuæ ſeptemnium, nudis pedibus, detecto capite, egiſſe. Preclarum quippe, atque inſigne tot, tantarumq; victoriarum tyrocinium: Exemplum nec in priuatis domibus, nedum in magnorum Principum aulis imitabile: Quis namq; Spartanus adeo dure educatus? Quis Chiron adeo rigidum Achillem aluit? Quæ fabuloſa antiquitas adeo mirificam extulit Herois alicuius educationem, quæ non ab hac Regia vera vincatur? Non referam, poſtquam ad conſanguinei Gallorũ Regis aulam, vt cum liberis regijs aleretur, perductus eſt, quanta in omnium admiratione fuerit ob præcipuam rei militaris, & equeſtris cupiditatem, qua mirum in modum adhuc puerulus tenebatur: Mitto omnia huius ætatis ſtudia, & exercitationes, quas conſentaneas fuiſſe virtuti, quæ poſtea eluxit, poteſtis exiſtimare: Unum tantum pueri adhuc, ſed virile prorſus, ac magno Principe, magnaq; militari ſcientia, ac rerum experientia prædito, dignum dicam; fortaſſe ad hæc vſq; tempora inauditum; vix enim quinq; ſupra decem annis expletis, cum fatalis furor in patriæ perniciem iamdudum Regni proceres armaſſet, vt vires Regni in regnum ipſũ conuerterent, cum in partes tranſgredi Joannę Matris iuſſa, cuius imperio obſtrictus erat, & Regis ira, æmulorum Prin-

cipum artibus concitata compuliſſet, eo tempore, quo omnia peſſum ibant, quo quattuor aduerſis prælijs omnis ſpes corruerat, niſi quæ de adoleſcentis huius virtute ſupererat, illum, ea ætate natum, ducem, & Imperatorem fuiſſe delectum, eiuſq; ductu, eius auſpiciis redijſſe partium fortunam, & , capta Charitæa, Caſtelleraldo obſidione liberato, clade Rupenſis prælij hoſtibus illata, etiam victoriam. Admirabimur Alexandrum Macedonem, Scipionem, Pompeiumq; iuuenes adhuc exercitibus præfuiße, hoſtes debellaße? Sed hanc præcoquẽ generoſitatem, hanc animi virtutem, adeo ætatem, ſolidumq; corporis robur anteuertentem, in Henrico certe primum admiramur: aliorum fuerit iuuenes, Henrici vnius erit, puerum imperaſſe: Nec enim decebat tantum Imperatorem, tam illuſtris, ac glorioſæ militiæ rudimenta, niſi ſe duce, auſpicari. An exiſtimatis, ipſum aliunde, tam admirabilem laborũ tollerantiam didiciſſe, frigora, æſtus, vigiliaſq; perferre, ſub dio, armatumq; pernoctare, in aquis degere, cæteraſq; militiæ ærumnas, haud ſecus, quàm gregarium militem tollerare, in acie ipſe adeſſe, hoſtem non modo ductu, imperioq; ſed pectore, manu, gladio profligare, proprium caput certiſsimis, cum res expoſceret, periculis obiectare, vulnera quin etiam excipere, & ab ipſiſmet hoſtibus propriæ virtutis perpetuum ſibi teſtimonium comparare? Inauditæ ſunt ſeculo noſtro in magno rege hæ militares virtutes; Proprium eius hoc eſt Imperij genus, difficili illa, arduaq; educatione partum, ingenita fortitudine auctum, & gloriæ cupiditate cumulatum. Minus igitur mirandum, eundem, qui munia belli tam nauiter gerere didicerit, aduerſa etiam pacis quæ multa, grauiaq; in ipſo ætatis flore illi obtigerunt, nouerit, fortiter, ſapienterq;

tolle-

tollerare; in his matris mortem, in his cædem, fugam, proſcriptionemq; ſuorum, in his quadriennium illud, quo ab Henrico, & Carolo Galliæ regibus, liberali cuſtodia in aula fuit mancipatus; in his, periculoſæ aleæ plenam ſeceſsionem, atq; ad ſuos reditum; ſed nihil adeo inuicti animi decus extulit, quàm infenſorum, & æmulorum Principum artibus ab oblito neceſsitudinis Rege concitatum aduerſus Henricum bellum, quo illi ſibi demum inuidiam, exitiumq; ; Henrico vero maximam gloriam pararunt. Non referam quali prudentia, quibus conſilijs, qua rei militaris peritia, tot, tantoſq: Regios exercitus euitarit, quibus rationibus ſe ſuoſq; tutatus fuerit, atq; imminentem perniciem effugerit, cum in ipſius caput, Rex ipſe, & Regni proceres, totius Regni viribus, conſpiraßent. Videtis profectò, quàm magnum, quàm amplum præteream laudis, & gloriæ campum, omne demum quattuor annorum tempus illibatum relinquo, quo exiguis quidem viribus, ſed ingenti virtute, contra tot incumbentia mala eluctabatur: illud tamen nobile, atq; omnibus hiſtorijs decantatum Coutracum prælium non omnino prætereundum, quo ipſe militarium copiarum numero, omniq; bellico apparatu longè minor, prudentia tamen, fortitudine, peritia, cæteriſq; imperatorijs virtutibus inſtructiſsimus, tribus belli ducibus interfectis, cæteris captis, totoq; hoſtili exercitu cæſo, fugatoq;, nullo ferè ſuorum amiſſo, præclariſsimam, ac triumphalem victoriam conſequutus eſt; quam ipſe duobus ſplendidiſsimis, ac nunquam ex hominum memoria eluendis magnanimitatis trophæis teſtatam reliquit; captiuos primum benigne acceptos, abſq; vllo liberatis pretio omnes ſolutos, liberoſq; ire iuſsit. Si tempus daretur, Sereniſs. Principes, vt longiori oratione proſequ-

ſequeremur, quibus rerum omnium anguſtijs Henricus Rex eo tempore conflictaretur, quos duces, quàm nobiles quàm magnum militum numerum, captiuos illi victoria conſtituiſſet quantumq; inde præſidij ad bellum proſequendum etiam cum laude percipere potuiſſet, profectò intelligeremus, quanto; interuallo Pyrrhi, Epirotarum Regis gloriam, quã æmulatus eſt, ſupergreſſus fuerit. Hac victoria parta, cum tanto incommodo res hoſtium affeciſſet, vt palam faceret, quo animo erga Regem Galliæ eßet, quantumq; eius Regiæ maieſtati cuperet, ſimulq; quàm inuitus ad bellum adigeretur, legatos ad Regem pacem petitum mittit. O verè inuictum etiã in uictoria animum. Tu ne, tot iniurijs affectus, bello ad exitium appetitus, victor, inſepulta etiam num hoſtium ſtrage, non obliuiſceris obſequij erga infenſum Regem, non vltum pergis, ſed de pace cogitas, pacem petis? Sed ijdem, qui conſilijs Regem ad bellum accenderant, peruicerunt, vt Regis noſtri legati ad colloquium non admitterentur. Ea vero poſt modum tempora inciderunt, quibus palam omnibus fuit, Henricum nunquam aduerſus Regem Galliæ, obſequium, & venerationem exuiße, & vi, ad vitæ diſcrimen euitandum, ad bellum adactum, eoſq;, qui in illum Regem incitabant, non ipſius Henrici tantum, ſed etiam Regis Galliæ hoſtes, eadem odij cauſa fuiße; nam cum Regio throno Rex deijceretur, regium inſigne ex ipſius capite raperetur, vitæq; aut turpißimæ captiuitatis diſcrimen adiret, cogitur Rex, regia poteſtate in eos animaduertere, quos legum potentia non poterat coercere. Nulla vnquam prouincia adeo violento motu, ac ſeditione concußa eſt, quàm poſt duorum illorum Principum cędē, Galliæ regnum. Rex maximi, ac opulentiſsimi orbis terrarum

rum Regni, eo calamitatis deuenerat, vt tres tantummodo vrbes imperio parerent, intra quarum fines regia omnis poteſtas continebatur, & Regius Lutetiæ Senatus, regem ipſum regno, regioq; nomine priuaret, perduellionis damnaret, ac miris ludibrijs eius nomen, effigiemq; afficeret. Inſtabant hoſtes, vireſq;, quas pro Regni tutela collegerant, contra ipſum Regem conuertebant; quem etiam valida manu Turoni obſederant, atque in apertum, & præſentiſſimum vitæ diſcrimen adduxerant. Conflictabatur eo tempore aduerſa valetudine Nauarræ Rex: ſuffecit tamen corpori vires virtus animi, nec ſubijt magnanimum pectus iniuriarum memoria, vel vltionis cupido, ſed ad tantam inſaniam coercendam, iniuriamq́; à Rege, & Regno propulſandam, animũ, vireſq; intendit. Hic primus dies perditis, ac profligatis Galliæ rebus ſalutaris illuxit. Henricus ſtatim, diſiectis hoſtium copijs, in tuto regem conſtituit: ex illo tempore, eius ductu, eiuſq; auſpicijs perpetuæ hoſtium clades, crebræ vrbiũ, & arcium expugnationes, continentes victoriæ, vt, recuperata breui regia dignitate, verè tum Rex Galliæ conſtitueretur. Henricus itaq; illi Regiam poteſtatem, dignitatemq; reſtituit, ipſe collapſum diadema capiti eius repoſuit, ipſe demum Regi regnum, vitamq́; ſeruauit, illumq; adeo erexit, vt Lutetiam arcta obſidione cingeret, breui expugnaturus, niſi inopinatum ſcelus, triumphum potius illi, quàm victoriæ gloriã ademiſſet. Decorum eſt, Auditores, hominem in vitæ, & fortunarum diſcrimine poſitum, ſeruare: Enimuerò ad hoc nati, ad hoc opes, diuitias, honoreſq; natura appetimus, nec aliud eſt, quo Principes, Regeſq; magis veneremur, & admiremur, quàm quod de plurimis benemerentur; Quippe

quos

quos virtus ſic ſuprà cęteros tollit, vt nobis præſidio ſint, vt plurimis beneficia præſtent; tanquam numina quędā generi humano ſalutaria ſuſpicimus. Si vero eiuſmodi merita adeo ſpecioſa ſunt, cum in aliquem hominem conferuntur, quàm glorioſa erunt, cum in Regē? Magnum, ac egregium decus Regem Galliæ Henrico vitam, regnumq; debere, quod vixit, quod imperat, illi imputare. O quàm decorum, ſpecioſumq; eſt Regij ſoſpitatoris nomen? Quæ enim ciuica corona, quæ ſeruatoris, quæ patris patriæ appellatio, quodnam aliud humanum excogitatum, adeo honorificum erit, adeo glorioſum, vt totam rei magnitudinem, & dignitatem complectatur? addamus, eundem ſeruatum Regem acerbiſsimis odijs, hunc egregium ſoſpitatorem ſuum perſequutum, perpetuum illi bellum iampridem indixiße, Henricum vero, non ſolum omnia reipublicæ, illiq; condonaſſe, ſed eas ipſas copias, quas in ſui tutelam aduerſus ipsū collegerat, ad ipſius inimici Regis ſalutem, attuliße; creſcet profectò in immenſum admiratio, nihilq; aliud cogitare poterimus, niſi tam præclaram, tam inauditam virtutem, ætati demum noſtræ poſt multa ſecula reſeruatam. Sublato per ſummum ſcelus Henrico tertio Galliæ Rege, Henricus Nauarræ Rex, cui regnum non ſolum genus deferebat, ſed virtus promerebatur, quem etiam moriens Rex, ſupremis ſermonibus, legitimum imperij hæredem nominarat, ſummo eorum, qui aderant, conſenſu, Rex ſalutatur. Operæprecium eſt, Auditores, cognoſcere, quo in loco tum temporis res Galliæ eßent. Quemadmodum enim nauigantibus tranquillitatis dulcedo melius poſt tempeſtatem ex contentione innoteſcit; ita nos, vel ex hoc facilius intelligemus, cuius virtutis fuerit, maximum Regnum ingentibus

diſcordiarum procellis exagitatum, tam breui ad eam pacis ſerenitatem perduxiſſe, vt niſi eadem ætas noſtra, quæ in hac rerum omnium quiete, & ſecuritate illud videt, idem turbarum, irarum, & bellorum plenum vidiſſet, ab omni prorſus fide alienum exiſtimaret. Regnum Galliæ omnium totius Europæ, ſeu potius orbis terrarum, regnorum auguſtiſsimum ſemper, ac feliciſsimum habitum fuit, ſiue ad præſtantiſsimas, ſapientiſsimaſq; leges, & inſtituta reſpiceretur, populorum aduerſus Regem naturalem quodadmodo amorem, & voluntatem, ordinum diſtinctionem, ac libertatem, quibus omnibus à domeſticis ſeditionibus munitur, ſiue ad potentiã, vireſque, nobiliſsimorum ducum copiam, militum fortiſsimorum multitudinem, arcium, caſtellorumq; frequentiam, quibus ab externo hoſte defenditur: Artibus præterea pacis omnibus viget, pollet ingenijs, floret diuitijs, & opulentia incolarum, & quod inter præcipuas eius laudes non vltimum poſuerim, euangelicam diſciplinam à primordijs vſq; orientis Eccleſiæ receptam, adeo inconcuſſam, & intemeratam ſeruauit, vt non modo vſque ad patrum noſtrorum memoriam, nulla hæreſum labes infecerit, ſed firmiſsimum, & inexpugnabile, omnibus ſeculis, catholicæ religioni ſe præſidium, ac propugnaculum præſtiterit. Hoc regnum, ex qua felicitate, ex qua pietate, bone Deus, in quas exitiales diſcordias, in quas impietates prolabitur? Trigeſimus iam ferè annus agebatur, ex quo perpetuis, continentibusq; bellorum ciuilium turbinibus adeo quatebatur, vt nec trium regum virtute, nec nobiliſsimæ, ac fortiſsimæ Heroidis Catharinæ Medices, eorum matris, conſilijs, ac ſapientia obniti potuerit, quominus in deterius ſemper, & ad certiſsimum rueret naufragium. Omni-

um,

mnium ciuilium bellorum illud atrociſsimum eſt, maioriq; incendio flagrat, quod ea vincula diſsoluit, quibus animorũ vnitas magis connectitur, & conſtringitur. Nihil vero eſt omnium humanarum rerum magis neceſſarium ad mutuum amorem, ciuilemq; caritatem conciliandam, & conſeruandam, quàm omnium ciuium in religione conſpiratio, & conſenſus: ab hac cum aberratur, non ſolum radix omnis humanæ conſociationis extirpatur, ſed etiam illud, ſic dixerim, foedus, quod inter Deum, hominesq; intercedit, violatur. Irrepſerat iam pridem in Galliam nouarum de diuinitate opinionum impietas, compreßaq; primum, & coercita legibus, ſerpebat humi, donec ſumptis viribus, legum potentiam ſupergreſſa, dein tanquam hydra peſtilens proprijs vulneribus foecunda, non ſolum contumacia erat imperuia rationibus veritatis, ſed etiam, ſumptis armis, inexpugnabilis ferro. Deueniebatur itaq; ad atrociſsimum ciuile bellum, ac decertabatur armis de pietate, & de religione, nec tot annis, mora, aut requies vlla tã pernitioſo bello fuerat. Admirabile vero dictu eſt, quem bellorum diuturnitas rerũ diuinarum contemptum in vniuerſum regnum induxerit: Templa Deo dicata paſsim polluebantur, diripiebantur, incendebantur: Eccleſiæ patrimonia, & ſacerdotia ipſa, militibus plerunq; in præmium ſceleris, & impietatis cedebant, ſacerdotum poteſtas, omnisq; Eccleſiaſtici ordinis dignitas ludibrio, & deſpectui erat, nulla ſacrorum myſteriorum reuerentia, & qui poſtremus omnium ſcelerum terminus eſt, nullus omnipotentis Dei, diuinæq; vltionis timor. Deiecta, proculcataq; religione, qua nihil ſanctius, auguſtiuſq; rerum mortalium inueniri poteſt, nihil amplius erat, quod retineret, quominus omnia in præ-

ceps ruerent. Primores regni, vi, & armis præfecturas, prouinciasq; inuadebant, quæq; à ſuperioribus regibus acceperant, vt propria, & auita poſſidebant; non regis, non ſenatus, non deniq; ipſarum legum auctoritatem, maieſtatemq; agnoſcebant. Pro Rege multi, plures pro foederatis, plurimi cõtra regem, contra foederatos, demum contra ipſum regnũ bellabant; nulla omnino regni pars bello immunis, vbiq; non modo bellum, ſed continens prælium erat; nulla prouincia, nulla ciuitas, nullum oppidum ſemel dixerim, nulla domus, ſine bello, ſine ſcelere, ſine cæde: non ordinum præterea, non dignitatum diſtinctio, nobilibus viles, ſapientibus vecordes præpollebant: non fides, nõ religio, ſed diſcordia, audacia, impietas, ſcelerũ omniũ impunitas dominabatur: Intermittebatur agrorũ cultura, ceſſabant artes, & ſtudia, omnes demũ humanæ ſocietatis nexus rumpebantur, & ad manifeſtã barbariẽ, & ad ipsã diuinæ maieſtatis ignorantiam regnũ vergebat. Huic tã immani, ac tenebroſo chaos, Henricus incomparabili virtute, & fortitudine, lucis aſpectum reſtituit, hanc rerum omnium confuſionem, ipſe miro ordine, ac diſtinctione digeſſit. Enimvero, Auditores, ita natura conſtitutum eſt, vt quanto ſapientioribus legibus regna, reſq; publicæ ordinatæ fuerint, maiori rerum omnium concuſſione, & ruina collabantur. Non poterat Galliæ regnum, tot ſalubribus inſtitutis munitum, adeo religioni, ac pietati addictum, tanta erga ſuos reges fide, & caritate, quanta nulla vnquam natio, ſubuerti, quin ius, pietas, & cetera ſacroſancta, quibus continebatur, vincula diſſoluerentur: Sed euerſum, proſtratumque regnum adeo erexiſſe, hoc verò diuinæ prorſus virtutis opus eſt, cum ex tam perditis rebus, regnum adeo florens, & glorioſum edu-

tere, humanis viribus fieri poſſe, ſapientiores negarint. Euerterunt multi reſpublicas, vt regnarent, propriam magnitudinem in patriæ ruinis ædificarunt, hinc clari, felices, ac glorioſi habiti ſunt; Henricus vnus, è diſcordi, ac profligato populo, iam ſine lare, & legibus, legitimum, & florentiſsimum regnum conſtituit. Hic ego, Auditores, ſi gloriam armorum, quæ ad regnum in regiam libertatem vindicādum cepit, enarrandam ſuſciperem, ſi militaria geſta recenſenda, deficeret prorſus tempus, vox, latera, vireſque: nulla enim, quamuis diuina, & incredibilis eloquentia eius Imperatoris facta digne dicere poſſet, qui bellis non innutritus modo, ſed natus eſt, cuius pueriles meditationes, vrbes expugnare, oppugnatas tueri, exercitus ducere, aciem ad prælium dirigere, cuius ſtudiorum præmia, victoriæ, pueriles voluptates, triumphi fuerunt; Qui, maiori ætatis ſpatio, propemodum dixerim, quot dies vidit, tot bella vicit: Qui omnium genera bellorum, fortitudine, magnanimitate, ipſa demum ingenita virtute magiſtra, didicit, victorijs expertus eſt: Qui, quod vicerit, quod triumpharit, virtuti imputat, non fortunæ: Cum etenim caſui, quemadmodum ceteri mortales, obnoxius eſset, qui in re bellica apprime dominatur; ita vt tota ab eo pendere dicatur, adeo infallibili prouidentia præditus Henricus fuit, vt extra omnem rerum humanarum aleam poſitus videretur. Admirabile eſt, in tanta præliorum multitudine, & varietate, quibus omne ferè ætatis tempus inſumpſit, nihil illi adeo nouum, adeo inopinatum, adeo præter rerum ipſarum naturam accidiſse, vt imparatum oppreſserit; quinimo re ipſa verum illud præſtitit, fortunam virtute comparari. Quid etenim grauius illi euenire potuit, in ipſis regni auſpicijs, quan-

do maxime viribus, copijſq; opus erat, cum ex primis conatibus vniuerſa ferè belli moles penderet, atq; inde fama, quæ plurimum in nouis coeptis valet, eſſet emanatura, cum à maiori nobilium parte deſereretur, ſequutique exemplum milites à ſignis diſcederent, ipſe viribus, auctoritate, dignitate, denudaretur, adeoq; furori, ludibrijſq; hoſtium videretur expoſitus, vt iam iam illum compreſſuros, victũ, captiuumq; nullo negotio abducturos, ſibi, ceteriſq; pollicerentur? Emerſit tamen ex his anguſtijs: inuenit infracta virtus, vnde erumperet, illudq; tantummodo actum videtur, vt inſignis illa Arcuenſis victoria aduerſus tantos exercitus comparata, exiguitate copiarum, fieret illuſtrior, nullusq; in partem eius gloriæ vocaretur, quæ ſola illius virtute parabatur: Henrici vnius fuit, furori triginta millium cum quattuor tantũ militũ millibus obſtitiſſe, eos ter fudiſſe, poſtremo fugaſſe, caſtriſq; oppidis, vrbibus, prouincia vniuerſa, ab omni hoſtium vi liberata, ipſam demum vrbem regiam, ſubita obſidione, captis, deprædatiſq; ſuburbijs, cinxiſſe. An, cum perfidi illi milites in caſtra herois noſtri, deditionis habitu, ſe ferrent, & in ipſo conflictu inſidioſa arma in eos, qui illos receperant, verterent, atq; in caſtra hoſtes vocarent, eius victoriæ impetum retardarunt? non ne præſentiſsimam Henrici fortitudinem, deiecti, profligati, obtruncatiq; ſenſerunt? inſigni documento, viuidam, & vigilem virtutem, non ſolum fortunæ ictibus non concuti, ſed perfidia etiam, fraudibuſq; eſſe inexpugnabilem. Quàm glorioſum porrò fuiſſe exiſtimamus eum diem, quo apud Iürum pagum præclariſsimam illam victoriam retulit, non tam peritia, quàm fortitudine imperatoris memorabilem? quo, cum longe impari copiarum numero

decer

decertaſſet, hoſteſq; adeo profligaſſet, vt ex peditibus ferè nullus, ex equitatu pauci admodum ſupereſſent, & in ipſo cōflictu, tanto ardore, tanta virtute, in confertiſsimas hoſtium turmas irrupiſſet, vt non ſolum ordines prætergreſsus eſſet, ſed etiam à conſpectu abiiſſet, repente ſuis, iam de ipſius ſalute ſollicitis, ab hoſtium cæde, glorioſo ſanguine redundans, cum tribus equitum vexillis, quæ cum quattuordecim tantum commilitonibus, hoſtibus eripuerat, inſperantibus apparuit. Proponite, quæſo, vobis, Auditores, eam triumphi ſpeciem, cum ſe nobiliſsimus Rex, & Imperator, citato equo, cruentum ſtringens gladium, cum tantæ virtutis monumentis, ſe in caſtra exercitus, ſua fortitudine, victoris, intulit; reuoluite animo regium illum ornatum, quauis purpura, & auro pulchriorem, veram ex patenti, præſentiq; virtute gloriam præferentē, & cogitate, quis ille dies, quàm glorioſus; quæ omnium fuerint acclamationes, qui plauſus, cum in ambiguo eſſet, vtrum maiorem victor exercitus ceperit lætitiam ex ſalute, an ex virtute Regis. Gaudebant duces, militeſq;, quod ſub eo Imperatore mererent, qui quanto imperatoriis artibus, omnibus Imperatoribus præſtaret, tanto etiam militaribus virtutibus, omnes milites antecelleret: eum vnicum in orbe terrarum dicebant, vtriuſq; gloriæ exemplar eſſe, à nobiliſsimo omnis memoriæ præceptore, non præceptis modo, ſed exemplis, rebuſq; geſtis, non ſolum duces ſuas artes, ſuum officium, ſed milites etiam edoceri. Hunc tam præclara victoria nobilē diē, alia etiam victoria illuſtrauit, profligatur enim per regis legatos hoſtium exercitus, qui per Aruerniā debacchabatur, delentur milites, mactātur duces, Iſſoria obſidione eximitur, caſtra vna cū impedimentis, bellicíſq; omnibus

bus tormentis capiuntur: Inauditum miraculum, tantas vi-ctorias, vnico die, ad Henrici gloriam cumulari, quæ ceterorum Regum ætates integras illuſtraſſent. Sed Francofontani facinoris exemplum nemo, niſi fabuloſum, inueniet; octuaginta etenim tantum nobilibus ſtipatus, cumq; hoſtes ingruerent, ſine galea, abſq; vllo capitis integumento, à belli periculis, audaci protectus virtute, integrum diem decertauit, treſq; equitum turmas fudit, nec ampliori deinde quàm ducentorum equitum numero, hoſtium exercitum terga vertere coegit, nullo ſuorum amiſſo: Quis Achilles, quis Homericus Hector, pro tot hoſtibus in acie ſtetiße dicitur? Singularia hæc, noua, de ceteris inaudita, ſed magni Henrici virtuti non inuſitata: eandem enim gloriam ad Nouiodunum, vbi quater hoſtes, vrbem obſidione liberare totis viribus aggreßos, fudit; eandem ad Laudunum, ingenti hoſtium facta ſtrage, ex eadem virtute conſequutus eſt. Quis porrò inauditam eius celeritatem cum vllo antiquorum comparauerit, qui admirabilem illum victoriarum curſum perpenderit, cum è Cænomanis egreſſus, vnà cum toto exercitu, tormentis, impedimentiſq; duorum menſium ſpatio, Turonenſem, Andegauenſem prouinciam, Armoricas regiones, cohærentibus victorijs, luſtrauit, & quaſi fulmen, magnam totius regni partem prodigioſa velocitate tranſcurrens, non modo ictu, vrbes, arceſq; deiecit, expugnauit, ſed, plurimas ante aduentũ, præueniente fulgore, terroreq; victoriarũ exterritas, in deditionẽ recepit, vt, priuſquã veniret, vinceret, antequam videret, triumpharet? Qui eius ad Iuetotiũ facinus cogitarit, cum, exercitu dimiſſo, & breuiſsimo temporis ſpatio, integris copijs rurſum comparatis, imparatos hoſtes, & rei nouitate perterritos, oppreſ-

ſit,

ſit, ceci dit, loco pepulit, caſtriſq; potitus, milites preti oſa ducum ſupellectile locupletauit? Quid ego memorem Vindocinum, Medonta, Vernonem, Melodunum, Corbolium, Sardionyſium, ceteraſq; propemodum innumerabiles vrbes, velut victoriarum prædas, primo impetu captas? Melanium, Druidas, ab hoſtium furore vindicatas? An inuictam dicam, ſingularemq; in Carnuto, in Rotomago, conſtantiam, indefeſſam in Fera vigilantiam, omnes militares virtutes in Ambiano, hoſtibus armatis, ſpectantibuſq;, erepto; cuius præclaræ victoriæ fructus non ad regem ſolum pertinuit, non ad Galliæ tatummodo regnum, ſed ipſorum quoq; inimicorum, quinimo, & vniuerſæ Europæ commodo ceſſit, cum ex eo potiſſimum totius reipublicæ chriſtianæ pax exorta ſit? Sed ſingularis, & verè admirabilis Lutetiæ obſidio, non modo propter vrbis, ſed propter totius regni tutelam, ſalutemq; coepta, vt, hoſtibus illic ab omnibus prouincijs attractis, regnum vniuerſum à belli incommodis vindicaret, vnicoq; conflictu de rerum ſumma tranſigeret, non ſolum bellicas omnes artes, ſed clementiam, paternam aduerſus populos caritatem, ceteraſq; ciuiles, regiaſq; virtutes, tanquam in ſpeculo demonſtrat. Teſtes aduoco omnes eius exercitus milites, omnes eius vrbis ciues, Galliã vniuersã, teſtes omnes annales, hiſtoriaſq;, quæ æternitati memoriæ regiam hanc moderationem, continentiamq; commendarunt, Pluries in Henrici poteſtate fuiſſe, vi, & aperto marte, vrbem expugnare, ſed vitæ, fortunarumq; ciuium miſertum diſtuliſſe, donec ſine cæde, ſine direptione, ſeruata potius, quàm capta in eius poteſtatem veniret. Nouum bellandi genus, obſidere vrbes, ne prouinciæ diripiantur, atq; ipſæ ſeruentur: non ne hoc potius cuſtodire fuit, quàm ob-

ſidere? Quis etenim Camillus maiori bono ſeruauit vrbes, quàm hic obſedit? verè Rex, verè patriæ Pater, verè pro populorum ſalute, pro pace bellator, meritoq; perpetuæ lætitiæ conſecratus dies, quò vnà cum toto exercitu, ad vim ab vrbe propulſandam, non inferendam armato, compoſito, quietoq; ſtipatus agmine, vrbem, nec opinantem, eoq; maiori gaudio exultantem cepit; Inaudita prorſus triumphi ſpecies; Rex cũ tot egregijs, fortiſsimiſq; ducibus, militibuſq; auguſtisſimũ captæ vrbis templum, recta è porta adit, aduoluitur aris, omniumq; victoriarum Deum agnoſcit auctorem, & moderato curſu, in ipſa vrbe victa, inter victores, armatoſq; milites, ſilent arma, quieſcit victoria, triumphat continentia, triumphat pietas, triumphat clementia. Omitto Armoricos, Aruernos, Pictones, Andegauenſes, ceteraſq; gentes deuictas, ſubactaſq;: Quot prouinciarum, quot vrbium, quot locorum nomina Galliæ finibus continentur, tot Henrici victorias cogitate: Quæ enim, non dicam, prouincia, vel ciuitas, ſed quæ ora, quis in tota Gallia adeo abditus, ac reconditus ſinus, in quo egregiæ alicuius Henrici victoriæ non extent monumenta? qui trophæis Henrici non illuſtretur? qui totas Galliarum prouincias armatus, virtute, victoriaque, perpetuis comitibus, perluſtrauit, qui nullam pugnam, nullam obſidionem, nullam expugnationem aggreſſus eſt, quam non vicerit, qui nullo prælio, nullis caſtris, nullis demum locis, niſi victor diſceſsit. Qui nullũ vnquam prælium, ab hoſtibus oblatum, detrectauit, ſemper obtulit, qui, quos hoſtes armorum vi non contriuit, eos, quod longè illuſtrius eſt, nominis gloria, & terrore virtutis, profligauit, nunquam fractus, nunquam victus, ſemper victor,

ſem-

ſemper inuictus, ſemper triumphator: An ego tot, tantoſq; regios exercitus numerem in ipſum conglobatos, an tot populos, tot regna, tot potentiſsimos principes in eius exitium foederatos, vniuerſamq; ferè Europam armatam, & coniuratā commemorem? An duces in acie occiſos, captoſuè narrem, tot exercitus fuſos, tot victorias, tot palmas, tot triumphos dicam? non fecerim; nam nec temporis ratio poſtulat, & ſatis ſuperq; ad admirationem ſingularis, nec humanæ virtutis excitandam, confirmandamq; fuerit, numerum tantum victoriarum recenſuiſſe. Tres magnæ, celebreſq;, collatis ſignis, conſertiſq; agminibus, pugnæ, quinque ſupra triginta prælia, quadraginta ſupra centum armorum concurſiones, tercentæ vrbes, arceſq;, obſidione, vi, captæ, & expugnatæ, quibus omnibus non modo ipſe prefuit, ſed interfuit, efficiunt, vt anguſtum, & vſitatum nimis videatur, ſi dixerimus, nullam eſſe in orbe terrarum adeo reconditam, ac ſegregatā nationem, quam magni Henrici fama non penetrarit, ipſius gloriæ terminos, non prouinciarum, populorumq; finibus, ſed ſolis ambitu contineri. Tanta etenim triumphorum decora Henrico ſuperant, vt totum, integrumq; earum victoriarum, quas eius auſpicijs perpetrarunt, honorem ſuis ducibus relinquat. Intactum, illibatumq; Edigherio Rex elargitur, quod exterorum exercitus, qui ad inūdandam Galliam ex alpibus proruebant, in ipſis alpium radicibus repreſſerit; quod multo labore, & ſanguine, plurimis prælijs, Lugdunenſium, Viennenſiumq; ciuitates nutantes, prouinciam rebellantem ad obſequium coegerit, atq; in fide retinuerit. De Bironij laude, quam in Atrebatis, in Sequanis, inq; Belgarum finibus adeptus eſt, nihil decerpit. Aumontio, quod Caſtella ab

 hoſti-

hoſtibus in Britannia impoſita expugnarit, Vicquium, quod Sandionyſiacum oppidum, iam amiſſum, primo impetu, fortiter, feliciterq́;, cæſo duce, recuperarit, eorum laudi cedere patitur: glorioſum illud Villemurenſe prælium, tribus illis generoſis ducibus imputat: nihil ex Dornani, ex Sanlucenſis, ex Jurienſis fortiter geſtis ſibi vſurpat, non his lauris ſua tempora, ſuos faſces exornat, nec de his victorijs triumphat: cõmunẽ hãc regum gloriã, quã ex ijs, quę ſua fortuna geſta sũt, iure, meritoq; conſequuntur, planè magno animo magnus Henricus reijcit, repudiatq;: proprio ductu, propria manu, propriæ vitæ periculis quæſitas victorias, ſuas tãtum arbitratur: Jngens tamen ipſius laus eſt, tot fortiſſimos belli duces, præfectoſq; habuiſſe: an exiſtimabimus, defuiſſe ſapientiam, prudentiamq; Imperatoris, in eis ducibus deligendis, qui ſemper vincerent? an aliunde illos tam egregias belli artes, quàm ex ſupremi multorum ſeculorum Jmperatoris peritia, putabimus didiciſſe? Vicit itaq;, domuitq; Rex Galliam rebellantem; auitumq; regnum generi debitum, virtute, ac fortitudine promeruit, quæſiuitq;, ea ratione, vt ex his victorijs, quas infra vnius regni clauſtra conſequutus eſt, vel priſcis imperatoribus, qui in diuerſis orbis terrarum partibus victoriarum monumenta reliquerunt, totius generis humani ſententia, æquandus cenſeatur: Hoc etenim eſt, Principes Sereniſſimi, regnum illud, quod vel terrarum ſpatio, vel hominum fortiſſimorum copia, totius Europæ regnorum longe maximum eſt, ampliſſimumq;, quod octo ſupra decem complectitur ingentes prouincias, vel potius regna, non immerito orbis Galliarum dictum: Hæc illa eſt Gallia, quæ prima omnium exterarum nationum Romanis armis eſt appetita,

poſtrema edomita, quacũ ſæpius pro ſalute, quàm pro victoria à Populo Romano certatũ eſt: hãc rebellantẽ, hãc armatã, iratãq; edomuit, ſubegitq;. Præterea hoſtiũ vires, principũ aduerſantiũ copias, potentiãq; cogitate, illumq;, nõ Galliã modo, ſed vniuersã propemodũ in Gallia Europã, viciſſe dicite, & tunc audacter omnibus omnium ſeculorum ducibus, principibus, regibus, Cęſaribuſq;, magnitudine, & gloria rerum geſtarum æqualẽ, vel potius maiorẽ pronunciate. Pulchrum, ac præclarum omniũ humanarum rerum eſt, regnare: Decorus etiam, & Illuſtris ſplẽdor, qui victorijs, imperatorijsq; virtutibus comparatur: nihil tamẽ ſpecioſius, nihil magnificentius eſt, nihil, quod humanæ mentis aciem adeo præſtringat, quàm cum regio ſplẽdore, ac magnificentia coniuncta victoriarum gloria: Quamnis enim vtrunq; decus illuſtre, atque eximium ſit, neſcio tamen quo pacto vtrunq; creſcit, ſi iungantur; Nam ſicut ingens, ac ſplendida flamma in praecelſa ſpecula excitata, non ſolum magis ipſa conſpicua fit, ſed loci etiam eminentiam latius deſignat, vt nec caligo, nec nox, aut hebetet ignis fulgorẽ, aut loci altitudinem celet, ita militaris honor, ac regia amplitudo adeo ſeſe inuicem illuſtrant, vt tanquam humanæ gloriæ coryphæum à mortalibus ſuſpiciantur, nulliq; temporũ curſus, nulla ſeculorum obliuio, ex humani generis memoria delere, aut tenebras eius claritudini poſſit offundere. Inter tot victorias, tot triumphos, quando alius inuicti, vrbium expugnatoris, belli fulminis, aut alium ex humana ſuperbia titulum vſurpaßet, ipſe Deo cauſas victoriarum referens, ad eius diuinitatem, vero, ſinceroque cultu venerandam animum applicuit, Chriſtianiſsimiq; nomen, hæreditarium generis, vt etiam pietati debitum eßet, efficere ſtatuit. Adit per lega-

tos Summum Pontificem, ſanctiſq; illius pedibus, vnà cum tot victoriarum præmijs, & ornamentis aduoluitur, omniumque hoſtium victor, ſui ipſius triumphum Deo volens, libenſq; defert, adeoq; glorioſam veniam promeretur, vt nullam ipſe hoſtibus largitus fuerit glorioſiorē: Vtq; egregio aliquo munere pietatem ſuam teſtatam faceret, neue inglorius ad eccleſiæ gremium, eccleſiæ primogenitus rediret, ſexaginta hominum millia, ad germanæ religionis ſpeciem agnoſcendā, & amplexandam, exemplo adigit. Enimuero, pauci admodum, cum fauſta, ac felicia omnia fluunt, in victoriarum, ac triumphorum fulgore, Deum agnouerunt, illumq; totius felicitatis, omniumq; bonorum verum largitorem cogitarunt: rerum enim proſperitate inſoleſcit hominum mēs, etiam aduerſus Deum, propriæque virtuti imputat, quod vni Deo debet: Hinc illa immenſa bonitas aduerſis, improſperiſq; plerūq; nos, noſtram imbecillitatem, & humanarum rerum inconſtantiā edocet, cogitq; vel inuitos fateri, nihil armis, nihil opibus, nihil regnis, vel humanis deniq; rebus omnibus firmæ, ac certæ ſpei, diuino præſidio deſtitutis ineſſe: At magnanimus Henricus non calamitatibus impulſus, ſed ex ipſo humanæ gloriæ faſtigio ad Deum reuertitur, & incredibilem illam virtutem, inauditam fortitudinem, diuinam prudentiam, admirabiles illas victorias, auguſtiſsimiq; demum imperij gloriam, diuinæ liberalitatis donum agnoſcit, eiuſq; vicarij arbitrio, ſe, populos, regnum, pacem, bellumque committit: non mirum igitur, ſi tam pio Regi, qui adeo ſapienter ſecunda ferre nouerat, qui omnium proſperitatum cauſas Deo acceptas referebat, ad votum omnia ſuccederent, & in ipſo felicitatis vertice, inconcuſſus, ſtabiliſq; permaneret. Vt primum, effugatis

gatis errorum tenebris, ſplendidiſsimus veritatis radius Henrico de coelo effulſit, admirabile dictu eſt, quod decus, & incrementum virtutes omnes acceperint: Nam quemadmodum, cum nubilo coelo Sol exoritur, diem quidem, ac lucem mortalibus affert, diſiectis verò nubibus, non modo terras illuminat, ſed illuſtrat; ita magni Henrici virtutes, inſolitæ quidem, & admirabiles agnoſcebantur, etiam cum erroris nube velabantur: diſiecta vero caligine, cum purum, ac natiuum eorum ſplendorem contemplari licuit, dici non poteſt, vt è ſerena, & innubila animi regij facie effulſerint, orbemq; vniuerſum inſolito ſplendore irradiarint, adeo vt hoſtes etiam ipſos in admirationem adducerent, ac ſapientiſſimus Hiſpaniarum Rex Philippus ſecundus ad pacis conditiones per ſummum Pontificem propoſitas inclinaret, nec Henricus, qui pro pace tantum bellum geſserat, recuſauit. Sed redditæ regno, Chriſtianæq; reipublicæ pacis gloria, familiæ veſtræ, Sereniſsimi Principes, reſeruata eſt; nam Alexandri Medices Cardinalis opera, ſapientiaq;, inter potentiſſimos totius orbis reges pax Veruini firmatur; Quod tãto commodo, non ſolum regno, ſed vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ ceſſit, vt eo potiſsimum beneficio, Pontificatum Maximum promeritus cenſeatur. Parta itaq; pace, ac ſecuritate regno, domitis rebellibus, adeo vt nulla prouincia, nulla ciuitas, quod priorum regum contigerat nemini, eius imperium detrectaret, bello etiam, militariq; gloriæ modum ponendum ſtatuit, amplexus laudem multo vberiorem, gloriam ſpreuiſſe, quæ iuſtitiam, ſalutemque Reipublicæ non haberet coniunctam. Hinc ſtudio quietis, incredibili fortitudine, ac celeritate profligato Allobrogico bello, acceptiſq; à Summo Pontifice pacis

conditionibus, egregio pietatis, & æquanimitatis exemplo, totum ſe ad belli damna reſarcienda, rempublicam conſtituendam, ſubſidijs, ornamentiſq; inſtruendam contulit: Et quoniam maximum, pulcherrimumq; regni præſidium futurũ erat, vt Galliæ felicitas non vnius tantum mortalis vita niteretur, vt certiſsimã ſpẽ faceret, eundem, qui regni ſucceſſor futurus eſset, omnium etiã paternarum virtutum fore hæredẽ, vtq; chriſtiano orbi ſuæ pietatis, ac religionis pignus conſtitueret, quibuſq; moribus filios habere, qua pietate, qua religione præditos vellet, vt primũ p ſummũ Pontificẽ illegitimarũ nuptiarũ, quibus ab ineũte ætate fuerat irretitus, vincula sũt disiecta, ex totius Europæ principibus, Mariã Medicẽ Franciſci Magni Etruriæ Ducis filiã, coniugẽ elegit, ſapientiã patris admiratus, Ferdinãdi patrui magnanimitatẽ, totius generis pietatem, quod ob ſingulare catholicæ religionis ſtudium, nõ modo inter totius Italiæ, ſed Europæ principes familias, ampliſſimis, pulcherrimiſq; ornamentis, à Summis Pontificibus eſt exornatum. Omnibus virtutis, fortunæq; muneribus auctam Reginam, Deus etiam ipſe, ad complendam regiæ domus felicitatẽ, eximia foecunditate pulcherrimę ſobolis cumulauit, vniuerſumq; regnum, ſeu potius terrarum orbem, deſiderij, votiq; compotem vbertim fecit. Recepto coelitus ad imperij tutelam tam valido munimento, dici non poſſunt, quæ & ipſe, admirabili illa, diuinaq; ſapientia, contulit; Et primum ad augendam aduerſus Principem caritatem, mutuumq; ciuium amorem conciliandum, quod pluribus ſapientiſsimis rebus publicis optimum, ac ſalutare remedium fuit, rerum omnium, quæ bello euenerant, obliuionem, quam ſingulis quibuſq; edictis conſtituerat, adeo conſtantem, ſempiternamq; præſtitit,

vt, vnà cum bellis, conſepulta etiam omnis bellorum memoria videretur: tantumq; diuina illa mens prudentia valuit, vt vulnerum etiam, ac debilitati pro rep. corporis memoriam liberalitate aboleret; vniuerſos etenim, ſuperioribus bellis, eius cauſa, membris defectos, honorificentiſsime aluit. Præclarũ, & vere diuinum excogitatum, vt magni Henrici munificẽtia ijdẽ, & vulnerũ pro reip. ſalute ſuſceptorũ obliuiſcerentur, & regio teſtimonio cohoneſtatæ virtutis memoria fruerentur: Satis conſtat, nihil ex tota regij funeris pompa fuiſſe, quod adeo intuentium oculos allexerit, quàm tot debilium corpora, propriæ fortitudinis, & regiæ magnificentiæ inſigne, ac nobile ſpecimen præferentia. Quid ego memorem, qua virtute renaſcentia ſeditionum capita compreſſerit, qua ſapientia præcauerit, quot rationibus regni ſecuritatem à domeſticis turbis conſepierit? vt, omnium æquata poteſtate, nullus aduerſus leges, quantumuis gratia præſtaret, validus? vt, ablatis factionum ducibus, Rex ſolus, vnà cum legibus potens, ſolus omnium arbiter, cetera omnia magno interuallo infra Regem, infra leges eſſent? vt nihil omnium, quæ toto regno agerentur, ignoraret, omnium animos, omnium voluntates introſpiceret? an ego præclariſsimos viros conſtitutos dicam, qui regijs procurationibus præeſſent, ſapientiſsimos, ſpectatiſsimoſq; in conſilium adhibitos, regiæ demum, paternæq; vigilantiæ pulcherrimum exemplar exhibitum? Quot vrbes, totius regni præſidio, aduerſus externam vim moenibus cinxit? Quot, colonis auxit? Quot arces extruxit? quot portus aperuit? nonne immenſi illi theſauri, partim ad reipublicæ tuitionem ſegregati, ſepoſitiq;, partim ad Regis, regniq; ſplendorem, non per Galliã modo, ſed per Belgium, Italiam, Germaniamq;

maniamque profuſi, non ne armamentarium illud pulcherrimum Lutetiæ exædificatum, omnium armorum generibus inſtructum, omne prouidentiæ, ac magnificentiæ regiæ miraculū excedunt? Omitto itinera vſui, commoditatiq; publicæ, lapidibus ſtrata, foſſas egeſtas, pontes, aggeres conſtructos; omitto regni, vrbiumq; decori, ſtatuas, porticus, regias, prætoria, excitata, aucta, ornata; apud omnes enim eſt in confeſſo, vniuerſorum priorum regum, ſeptingentorum annorum ſpatio cumulatam magnificentiam, vnius Henrici magnificētia, ſuperatam: ſed nimis nota hæc, nec commemoratione indigent; ceterum abſtruſam illam, ac planè reconditam regnandi artem, qua tantis bonis regnum vniuerſum cumulauit, idem ipſe Rex, qui exercuit, ſolus nouit: Latuerunt impenetrabilia illa, ac ſacroſancta arcana in ſapientiſsimo illo pectore: Non eſt facultatis noſtræ, Auditores, inquirere, quæ propter ipſorum altitudinem, & eminentiam, internoſci, ac diſpici nequeunt: Admiremur potius, & veneremur diuinam ſapientiam, in mentibus iuſtorum, piorumq; principum, populos, ac regna gubernantem, eamq; ex ijs, quæ patuerunt, inque omniū conſpectu fuerunt, agnoſcamus. Pace, quiete, ac ſecuritate fruitur Gallia vniuerſa? Henrici egregium hoc munus confitetur: Viget religio, pollet auctoritas legum? Regis Henrici ſapientia factum eſt: Nobilibus honos, ordinibus decus reſtitutum eſt? Henrici donum prædicant: Floret opibus, artibus, ingenijs, Galliæ regnum? Henricus vnus ditauit, extulit, ornauit. Nullus vnquam priorum regum adeo turbulentum, adeo quaſſatum, adeo contritum regnum accepit, vt Henricus; nullus adeo florens, adeo opulens, adeo tutum reliquit, vt Henricus. Nulla antiquorum regum quantumuis longa, & in-

ueterata

ueterata pax ad eum felicitatis verticem regnum perduxit, ad quem paucorum annorum ſpatio, Henrici prudentia. Si igitur belli fulgor tantum dignitatis regiæ maieſtati adfert, quàm admirabilis fiet eius Regis gloria, in quo bellica laus ſapientiæ ciuilis ſplendore cumulatur? Seligamus ex omni hiſtoriarum antiquitate, ex omni poetarum ingenio, bellicoſiſsimũ aliquem regem, militari diſciplina inſtructiſsimum, victoriarum gloria ornatiſsimum, triumphatorem, inuictum, nullum reperiemus, quem, armorum ſplendore, magnus Henricus non æquarit: Quæramus etiam per omnia ſeculorum curricula, per omnium temporum annales egregium item regem, pacis artibus clarum, patriæ, populorumque patrem, iuſtitia, pietate, prudentia, magnanimitate, magnificentia celebrem, nullus profectò ciuilium virtutum decore, magnum Henricum ſuperabit. Dicamus igitur, Henricum ad felicitatem Galliæ armis comparandam, pace ſeruandam, propagandamque, ingenti Dei *munere cœlitus datum, bellicæ gloriæ, ac ſapientię ciuilis pulcherrimnm, & admirabile compendium, ad exemplar regiæ, imperatoriæq; prudentiæ omnibus regibus, imperatoribuſq; propoſitum, cui ſimilem nulla ætas vidit, qualibet felicitas optare, vix ſperare, poteſt. Magna porrò reipublicæ chriſtianæ felicitas, maximus princeps, pace ſapiens, bello formidabilis, cui cordi ſit reipublicæ quies, pax, & decus. Vidimus Magnum Henricum ob auctoritatem tot belli, paciſq; ambiguis comparatam, in Chriſtiana republica pacis, bellique arbitrum: Vidimus eius nutu ſedatas Belgicæ tempeſtatis ſæuientes procellas: Vidimus irarum flammis tumentes principum animos, & iam iã in perniciẽ Italiæ, in*

perniciem chriſtianæ reipublicæ erumpens incendium, Henrici virtute, atque auctoritate, compreſſum. Sed, quamuis magnificæ hæ laudes, quamuis ſpecioſæ, nihil tamen fuit, quod adeo admirabilem, ac ſplendidam reddiderit coeleſtem illam mentem, quàm clementiæ ſidus: Virtus proculdubio digna magno principe, digna magnanimo, inuictoque Rege: Hac nihil magis ab humano genere à magnis principibus, regibuſque exoptatur, nihil magis ab iiſdem mortalibus debetur. Hæc adeo in Rege noſtro effulſit, vt non ſolum omnium laudatorum principum, quotquot ante ſe fuerunt, manſuetudinem vicerit, ſed omnia etiam optimi principis figmenta, à ſapientibus excogitata, ſuperarit. Cæſar Dictator, clementiæ, & manſuetudinis gloriam conſequutus eſt, quod nemo, ſuo iuſſu, niſi in acie ceciderit: At Rex noſter nullum, nec in acie, niſi inuitus occidit. Quoties etenim in ipſo ardore prælij, cum fureret mars, audita eſt illa Henrici diuina vox, non profligare rebelles, debellare hoſtes iubentis, ſed parcere ciuibus? Cæſar ijs peperciſſe dicitur, qui, cum ipſe bellum ciuile omnium ſeculorum memoria maximũ, & flagrantiſſimum concitaſſet, patriæ, atque adeo orbi terrarum ſeruitij iugum imponere vellet, ipſius cupiditatibus obſtiterant, victique ſe eius miſericordiæ crediderant: eos igitur ſeruauit, quos ante victoriam æquales habuit, & quos non ſine ſcelere occidiſſet: iure tamen, vel ex hoc ingentem promeritus gloriam, cum ardor victoriæ ægerrimè temperetur, & difficilius ipſa victoria, quàm hoſtes, vincatur: At magnus Henricus, qui regnum legitimo ſucceſsionis iure delatum, armis repetebat, eos expertus

 eſt

eſt inimicos, quos non ius, ſed ambitio, non regni amor, ſed regis odium armabat: qui nationes, regesq; vndecunque in ipſum concibant, adeo obſtinatis odijs, vt inimicos non modo Regi, ſed ſibi ipſis, vniuerſoq; regno infeſtos in ipſum aduocarent, vrbes, prouinciaſq; illis traderent, auguſtiſsimum demum regnum euerterent; fortitudine tamen, & incredibili patientia, bellum ciuile, externumq; ſuſtinuit, vicit, profligauit, regnum in poteſtatem redegit: qui hoſtibus huiuſmodi victor parcit, magnificum quidem ob victoriam, ſed magnificentiſsimum ob clementiam, triumphum ducit: qui verò ingentibus etiam ornamentis auget, & maxima regni munera demandat, is vero omnes clementiæ, & manſuetudinis terminos tranſcendit: Sed non hic regiæ clementiæ terminus: nouimus etiam poſt conſtitutum regnum, à principibus uiris ſæpiſsimè inſidijs appetitum ipſius caput, & in regnum coniuratum: quid hoc ſcelere execrabilius cogitari potuit? non vicit tamen hæc atrocitas eius clementiam; nam nec ſine ingenti admiratione etiam audiuimus, ijsdem ipſis deprehenſis, faſsiſq;, omnem poenam condonatam; Viuunt, rebus ſuis fruuntur, ab ipſomet quin etiam honoribus, & dignitatibus cumulati, illuſtre generi humano regiæ manſuetudinis teſtimonium exhibent. Norunt omnes, quibus lacrymis Bironium, non ſuo iuſſu, ſed propria potius contumacia, necatum, defleuerit. diſcamus itaq; vel hinc, non eſſe omnino adulatorias eorum voces, qui egregios Principes diuinae naturæ proximos aſſerunt; nam ſicut nullum ſcelus perpetrari poteſt, adeo immane, quod parcendo diuina clementia non vincat, ſic nulla in regem adeo atrox extitit iniuriæ acerbitas, quam ipſe miſericordia, & lenitate non ſuperarit. Hanc

Dei immenſam clementiam Magnus Henricus imitabatur? An aliunde emanaſſe, aliò pertimuiſſe exiſtimamus diuinam illam vocem, quam, cum Sorbonio collegio veniam largitus eſt, effudit? Quod, cum, vrgente bello, ſententijs, edictiſque regem grauiſsimè inceſsiſſet, Lutetiaq; in eius poteſtatem redacta, in maximum vitæ diſcrimen omnes adducti viderentur, atq; in Borbonio ſacello regem deprecaturi adijſſent, Rex ad imaginem Ieſu Chriſti, ſeruatoris conuerſus, ſublataq; manu, teſtor, inquit, Deum, ita mihi eum velle propitium, ac miſericordem, vt ipſe meis populis ſum futurus. Audiant reges, audiant principes, audiat orbis terrarum vniuerſus, priſca illa innocentia generis humani dignam vocem: Audiant, ad quam normam, clementiam ſuam Rex direxerit: ita ſibi propitium Deum optauit, vt ipſe ſuis populis futurus eſſet. Ita ne ſcilicet, illi rebellarent, aduerſum te decertarent, tu obliuiſcereris: leges in te atrociſsimas, atque ignominiæ plenas ferrent, tanquam contra communem hoſtem, totum orbem ad tui exitium conuocarent, tu parceres: in vitam, regnumq;, etiam adepto regno, parta tua virtute orbi pace, conſpirarent, tu condonares; quin etiam honoribus, potentia, præfecturis prouinciarum ornares? O inauditam, ò incomparabilem virtutem, quam verbis non ſolum profitetur, ſed re ipſa præſtat, eo admirabiliorem, quòd cum gloria armorum, cum ſplendore victoriæ iuncta eſt: O diuinæ prorſus clementiæ verum ſimulacrum, quæ ſuper iuſtos, iniuſtoſq; ſolis radios, & cetera coeli beneficia diffundit: Quibus vocibus, quibus præconijs te laudem? quibus te enarrem verbis? quo demum nomine appellem? clementiā? at omnes humanæ clementiæ terminos exceſsiſti: ſed poſt-

quam

quam Deum clementem dicimus, regem etiam noſtrum clemẽtem prædicemus: Potius dicamus, alios crudelitatis, & inclementię vitijs caruiſſe, humanos affectus edomuiſſe, iram viciße, ſed verum, legitimum, diuinum clementiæ titulum, vni Regi noſtro tribuamus. Vtq; nihil eorum, quæ in maximo rege exoptari poßunt, in magno Henrico deſideraretur, & iure, meritoq; regum miraculũ diceretur, adeo eximia, ſingulariq; pietate præditus fuit, vt vel ex hac vna ſui nominis memoriam æternam præſtiterit; nã quid ego tot præclaras ædes Deo conſecratas, bellorum iniuria, hominum impietate vaſtatas, & deſolatas, ab ipſo in priſtinum ſplendorem reſtitutas dicam? Quid orthodoxæ pietatis cultum in tercentis amplius ciuitatibus innouatum? plurimiſq; vrbibus, velut firmiſsima religionis præſidia, ad iuuentutem, vnà cum bonis artibus catholica religione imbuendam, collegia virorum Societatis Ieſu, regia magnificentia ædificata, ornata, ditata? Quid aliorum inſtitutorum ſacerdotes allectos, conſtructaq; illis coenobia? Quid ex publicis vectigalibus attributas annuas pecunias, ad vitam honorifice ſuſtentandam, præfectis hæreticorum cœtibus, qui ad veræ religionis agnitionem reuerterentur? Anguſti, Henrici pietati, Gallici imperij fines: nec ad Aſiam modo demerendam extendebatur, cuius Pontifices è ſordibus erexit, cuius templa dudum clauſa aperuit, in qua chriſtianam religionem inſtaurauit: Grande meritum, ingens beneficium, Dei prouidentia, Henrici pietati reſeruatum erat, in vniuerſum genus humanum conferendum. Templa Dei in Palæſtina profanari, ſacerdotes compedibus vinciri, noſtræ ſalutis memorias deleri, ipſumq; ſacroſanctum Chriſti ſepulchrum deſtrui, & euerti, chriſtianæ religionis

impius hoſtis iuſſerat. Iamq; piorum ceruicibus ferro, catenisq; imminebat exactor, & ſacrilega manu, ad atrocia iuſſa exequenda ſe accingebat: Obſtitit vnus Henricus, qui per Franciſcum Sauarium legatum, auctoritate, minis, terrore demum effecit, vt impium decretum reſcinderetur. Vt ſepulchrum Chriſti ſtet, colatur, adoretur, Dei primum Omnipotentis, dein Henrici Gallorum Regis beneficium eſt. Sepulchrum illud, Princeps Sereniſſime, quod tantis laboribus, tanto ſanguine, tanta demum gloria, materni tui progenitores ſeruitio exemerunt, Henrici munere, à ruina, & vaſtitate ſeruatum eſt. Quodnã humano generi maius præſtari potuit beneficium, quàm, ne deſineret adorari in loco, vbi Chriſtus ſtetit? quàm, ne noſtræ ſalutis veſtigia abolerentur? Colamus, veneremur illam inuictam dexteram, cuius terrore, Chriſtiani nominis perpetuus hoſtis de nefaria ſententia deceſſit, cuius pietate, chriſtianæ redemptionis memorias adoramus. Ceterum hic Rex adeo pius, adeo iuſtus, adeo innocens, cuius iuſſu nulli adempta vita, ſeruata plurimis, non inter hoſtes, non in acie, ſed inter amicos, inter clientes, in ea ipſa vrbe, quam ſeruarat, nefarie vnius parricidæ gladio extinguitur, videtq; ætas noſtra in optimo Principe perpetratum ſcelus, etiam in peſſimo deteſtandum: videt, cum eo decus reipublicæ chriſtianę deiectum, proſtratam gloriam triumphorum, amiſſum orbis terrarum, & ſeculi noſtri ornamentum. Quid dicemus? an diſparem tot virtutibus exitum, & infelicem vitæ finem, optimum Principem inueniſſe? Impium fuerit exiſtimare, qui adeo piè, ac ſanctè vixit, infeliciter extinctum: Non cadit inter tot, tantaſq; virtutes infelicitas: Dicamus, Dei omnipotentis permiſſu interfectum, vt inſigni, memorandoq; exemplo hodierni Galliæ luctus, & heſterni

ſterni triumphi, diſceret vniuerſus orbis humanarum felicitatum inconſtantiam: Dicamus illum, ea ratione, qua infallibili Dei prouidentia conſtitutum fuit, mortis vinculis exemptum, è rerũ humanarum turbinibus, ad eam euolaſſe pacẽ, & tranquillitatem, ad cuius exemplum, ille regni ſui pacem cõpoſuit, eiuſq; virtutes, eius gloriam non extinctam: An credimus, diuina illa pietatis & clemẽtiæ ſidera, occidẽte vitæ die, occidiſſe? fulgent, fulgebuntque per temporũ æternitates, nec ſalubribus radijs deſinent mortalibus prodeſſe. Viuit in omniũ mortaliũ mentibus Henricus, viuent eius præclara geſta. Non obliuiſcetur Gallia, virtute ab eo promeritũ regnũ, quod generi debebatur: Hærebit memoriæ, ſeruatam ab eo regis vitam, ſeruatum regnum: Dicent futura tempora, fuiſſe patriæ patrem, regni ſeruatorem, antequam regem: Memorabit poſteritas, Magni Henrici fortitudine, laboribus, ſanguine, regnum Galliæ à bellis ciuilibus, externiſque vindicatum, eius ſapientia, ad inſperatam pacem, ad inuſitatam gloriam prouectum: Dicet ab eo reſtitutam Regi obedientiam, legibus vim, religioni decus, nobilibus honorem, populo libertatem, omnibus concordiam, pacem, & felicitatem: Loquetur æternitas, eundem militari gloria, & ciuili ſapientia omnibus ſeculis incomparabilem: Vocabit Magnum, Clementem, Pium, Victorem, Triumphatorem: Dicet felicem bello, felicem pace, felicem coniugio, felicem prole. Quid vero illi ad ſummam felicitatem defuit? Reliquit florentiſsimum, tutiſsimumque regnum, reliquit pulcherrimam ſobolem, Regem, paternas, auitaſque virtutes indole promittentem, diuino præſagio, præcedente morti die, regno

inauguratum.

inauguratum, regemq; illum nomine, & ætate referentem, qui fortitudine immortalem gloriam, pietate cœleſtes honores eſt cõſequutus: Reliquit Mariam Medicem Frãciſci Principis noſtri prudentiæ hæredem, antiquam illam Blancam omnibus virtutibus repræſentantem, quæ Galliæ, atque orbis terrarum ſpes firmas, rataſque eſſe iubet, quæ Regni felicitatem præſentem, perpetuam ſpondet, quid vero illi amplius optandum? Reliquum eſt, vt poſtquam Magni Henrici virtute, qui etiam futuræ regni felicitati conſuluit, factum eſt, vt eius abſentiam Gallia non ſentiat, nec nos etiam ſentiamus, honoreſque paternæ virtuti debitos, indoli Ludouici filij, & prudentiæ Sereniſsimæ Mariæ eius matris exhibeamus.


NIL·CANDIDIVS·



4/

[illegible]